

Umg.

VI 83



~~RAMIS~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VI-83. VITEBERG.

SIGNAT. MDCCCXIII.

13

I. B. F!
Exercitatio Philosophica

De
CONCEPTU

seu
VERBO MENTIS

quam
PRAESIDE
M. JOHANNNE BAYERO,
Eperiesin. Hungaro R.P.A.

tuendam & suscipiet,
In Florentissima VVittebergensium Academia
RESPONDENS

ANDREAS Lüdcke / Mülingensis
Saxo.

Ad diem 20. Febr. Anno 1658.
H. lq̄ consuetis.

WITTEB. TYPIS JOHANNIS HAKEN,



L. B. F. I.
Excerptum Philologiae

CONCEPTU

VERBOMENTIS

M. JOHANNIS BAYERO

Episcopi Hungarici P. S. A.

Incumbens

in

ANDREAS NÖTHER Malingensis

Saxo.

Abbas in Tebr. Anno 1022

H. B. confectus

Wittenberg Typis Johannis Hartke





I. B. F!

Præfatio.

Uluxuriat propè Natura, varietate rerum. Plura, unico obtutu admittit oculus, quàm videt. Multitudo illud objectorum facit, suas undiquaque diffundentium imagines. Quas capere simul ac semel oculus potest; advertendis discernendisve, multitudine obrutus, haut sufficit. Et, quæ quantaque sunt, quæ externis non capimus sensibus? Nec tamen hæc tanta quantacunque sit, varietas rerum, mentem, pariter humanam, quæ totam pene complectitur rerum universitatem, confundit, non distendit, non gravat. Quæ Causa? quæ rei tam miræ ratio? Nimirum, non ipsæ res ingrediuntur Synciput nostrum. Non capit has cerebri humani angustia. Sed neque admittit inepta rerum non paucarum ad loca permutanda moles. Nec penetrant se invicem corpora, sed submovent. Species sunt, imagines, similitudines, ideæ, notiones rerum, quæ mentem subinttant nostram, quas, *Conceptus Philosophorum* vocat chorus. Hi quantumvis multi sint atque infiniti, tantum tamen abest, ut simplicitati intellectus officiant nostri, ut potius, quo plures limitatiõesve sunt, eò subtiliorem ipsum submilioremque redant. Ipsa namque mens nostra hæc sibi effabricat Idola.



1a. Phantasma videt̄, externæ rei similitudinem refe-
rens. Ast nondum adeò defœcatum purumve illud est,
ut ejus serviat functionibus. Quare similitudinem re-
tinet, speciem è sensibili, intelligibilem format. Quam
ubi præsentem sibi sistit, conceptum sistit rei, quò ipso
rota absolvitur intellectio. Sed hæc è discursu sequenti
clariorem accipient lucem.

§. I.

Conceptus est notio in mente, ab intellectu Agente ex Phan-
tasmate formata, objectum repræsentans: seu assimilatio quædam
rei conceptæ in intellectu.

§ 2. *Conceptus* vocatur, quoniam uti è congressu maris & fœ-
minæ, fœtus concipitur & procreatur; ita è concursu intellectus.
Agentis cum objecto, ad Exemplum Phantasmatis, ad similitudi-
nem speciei sensibilis, ab Objecto in sensus exteriores sparsæ, & ad
sensû communem delatæ, efformati, producitur species intelli-
gibilis, intellectui Patienti impressa, Objectum animæ intelligenti
coram sistens, atque repræsentans, quæ *Conceptus* nomine venit.

§. 3. Objecta namque intelligenda cum sunt, non ipsa ingre-
diuntur intellectum nostrum, cum nequidem canis aut equus in-
grediatur videntis oculum. Sed Species de sese spargunt sensibiles,
quæ à sensibus receptæ externis, ad Communem sensum & Phan-
tasiâ deferuntur. Ubi, postea quam Communis sensus, species sen-
suum externorum recipiens, sensibilia propria à se invicem &
communibus sagacitate sua distinxit; Phantasia has ipsas à sensu
Communi ad se delatas species, diutius retinet, diligentius exami-
nat, ruminat, & novas ad harum similitudinem efformat. Accedit
tunc Intellectus Agens, qui è speciebus sensibilibus, utpote sensi-
bus proportionatis, species procreat Intelligibiles, propriis fun-
ctionibus accommodatas. Quas in intellectu Patiens recipit, confi-
derat, judicat, animæque præsentissimos facit, atque tunc absoluta
est Intellectio. Exinde species quoque intelligibilis alia *Impressa* dici-
tur alia *Expressa*. *Impressa* est Ens permanens ab intellectu Agen-
te, Patienti infusum, Objectum repræsentans. *Expressa* est Ens flu-

xum,

rum, ab intellectu Patiente productum, clariùs prototypon su-
um depingens.

§. 4. Hæc ipsa ergo species intelligibilis *Conceptus* vocatur,
partus mentis, dictio & verbum mentis, & λόγος ἔσω seu sermo
internus. Per quem nobiscum loquimur, imò loqui dicuntur An-
geli & animæ separatae. Et cum impius in corde suo dixit: Non
est Deus, hic ipse λόγος ἔσω non ἔξω indigitatur. Atque de hoc i-
pso λόγος κατ' ἔσω tali, nobis hoc loco est sermo dum de *Conceptu*
disputare constituimus.

§. 5. Hac specie intelligibili mediante, Intellectus à Phantasia
in suis dependet functionibus, ita ut hæc læsà turbataque, opera-
tiones intellectus recto haut procedat ordine, sed fluctuent atque
agantur in transversum. Atq; tunc *Conceptus* vel falsus, vel insulsus
vel ridiculus prorsus sese prodit. Non secus ac qui ad exemplum
efformare quid cupit, si in exemplar incidat falsum, opus legiti-
mum producere haut potest. Quod namque malè representatur,
male judicatur.

§. 6. Neque hic moramur quicquam sententiam *Henrici à*
Gandavo quodl. 4. existimantis *intellectum intelligendo nullo modo*
pati, sed producere operatione, quæ solū terminatur ad objectū, & nul-
lo modo ab eo tanquam è principio pendeat: ac propterea negantis in
intellectum species accipere ab Objecto. Sed neque sententiam alio-
rum, qui negant species intelligibiles, pro qua citatur *Themistius,*
Avenpace, Theophrastus, Priscianus, Lydus, Zabarella, Picolomineus,
Gianninius, Baco, Durandus, Gabriel, Occam, & alii imò ipse quoque
D. Augustinus & Platonici omnes, qui ad *Rationes Innatas*, repræ-
sentantes *Rationes Aternas* seu *Ideas divinas*, seu *lumen aternæ ve-*
ritatis, uti vocant, à *Deo immediatè in animam nostram emicans atq;*
infusum, confugiunt: Hinc nullum quoque agnoscunt *intellectum*
Agentem præter Deum: ac proinde asserunt, mentes omnes parti-
cipatas, nõ posse quidquam intelligere, nisi participatione lumi-
nis, & rationum à prima mente venientium: idque ita explicant:
quod menti nostræ in primo statim creationis momento (per
Creationem enim animas propagari asserunt) concreentur *ra-*
tiones quædam dictæ *innatae*, realiter ab anima non distinctæ,
quas dicunt esse vel species intelligibiles, quæ animo immediatè à

divinis Ideis quarum sunt veluti vivaces quidam typi atque expressi characteres, infunduntur, & quidem in ipso puncto creationis animæ, prout *Marsilius Ficinus* & alii explicant: vel prout exponit *Plotinus*, qui considerat animam nostram, plenam *rationibus rerum*, non *actu*, sed *potestate*, & quidem per essentiam suam. Dicit enim mentem Increatam seu *Deum esse omnia actu, per Ideas: mentem vero creatam esse omnia virtute solum, atq; aptitudine, per rationes*, eo ferè modo, quo *Genus* est omnes suæ species, aut sicut in radice fructus præhabentur per vires seminales, aut colores in Sole per radios: illas autem rationes sic animæ competentes vult esse ipsas vires intelligendi omnia; ita ut mens aliquid intellectura, se, quatenus per *rationem* illius, in potentia est, ad illud intelligendum excitet. exerceat, corroboretque, & in actum tandem vim illam exerat. Exinde Autores hi scientiam seu intellectionem humanam voeant nudam *Reminiscentiam*. *Reminisci* autem hoc, vocant nihil aliud, quàm hausta per sensum aliqua specie, *rationem* intus elicere, prædictis *rationibus* congruentem. Ad illud verò nullum requiri intellectum *Agentem* humanum, nullum *patientem*, nullam *Speciem intelligibilem* ab agente intellectu de objecto formatam, sed nudas istas *rationes innatas* conformes *rationibus æternis* seu Ideis divinis, per sensus excitatas. Hanc sententiã ex mente *Platonis* & aliorum veterum introducere de novo conatur P. Jac. Fournenc Presbyter *Congregat. Orat. D. Jesu D. Theologus Tom. 6. Synops. Philosoph.* noviter admodum conscriptæ c. 25. seqq. itemq; *Tom. 1. c. 53.* qui prolixè ex *Platone, Marsilio Ficino, Plotino* ipso etiam *Aug. Cyrillo, Origene, Athanasio aliisq; Patribus*, itemque *Alex. Aphrodiseo*, & omnibus paulò ante citatis, qui tamen non omnino inter se consentiunt, sententiam hanc statuminare nititur. Hinc asserit tria esse objectorum genera, quæ possunt in nobis cognosci, *primum*, res sensibiles externas: *Secundum*, sinceram rerum quidditatem: *tertium* universale confusum ac Physicum. *Primi* notitiam dicit gigni posse in mente virtute animæ per sensationem & imaginationem determinatæ: *Secundi* notitiam fieri à *rationibus æternis*: *tertium* denique posse mentem, colligere ratiocinando, ex multis singularibus corporeis apprehensis invicemque collatis; neque ad hoc requiri novas species, sed solam sagacitatem natura-

tura;

turalem, vimque ipsam differendi. In quam opinionem inquirere jam non vacat. *Nec* magni facimus sententiã illorum qui volunt intellectum nostrum ne quidem intellectiõnis suæ principium esse, sed subjectum duntaxat, quod eam ab objecto vel à Deo suscipiat: uti pro sententiã hac à *Jac. Fournenc. l. d. p. 273.* Citatur *Godofr. quodl. 5. Jandunus, Ægidius.* Neque ad præsens institutum facit, disputare, quomodo species objectorum repræsentent intellectui nostro objecta, formaliter an solùm efficienter & virtualiter? quæ Controversia *Thomistis* cum recentioribus nonnullis intercedit: aut an species intentionales sint ejusdem naturæ, cum objectis in esse intentionali: atque adeo etiam secundum illud facultas cognoscendi per identitatem fiat res cognita? quod *Toletus Ruvius, Fonsæ. Molina, Vasq.* Imò *Thomas* ipse, negant; *Thomistæ* alii, propter loca nonnulla *Thomæ* contra *Thomam* ipsum affirmant: unde *Salmanticenses* prolixissimas disceptationes extrahunt, quæ rebus Theologicis alioquin satis arduis, magnam obscuritatem affundunt, prout idem *Jacob Fournec. l. d.* conqueritur: aut quid immediatè repræsentent species intelligibiles, singularia, an universalia Ubi *Thomistæ* adserunt repræsentare primario universalia, secundario singularia; *Scotus* contra & *Nominales* eã aliis recentioribus hisce se opponant: aut deniq; an verbum hoc mentis distinguatur ab intellectu ipsa & similes aliæ quæstiones Scholasticæ.

§. 7. Potius de *proportionem conceptus ac rei conceptæ* aliquid addendum judicamus. Dicimus ergo *proportionem* aliquam requiri inter rem conceptam & conceptum, atque exinde inter phantasma quodque & speciem sensibilem ac inter objectum ipsum: si ve illa accuratissima sit, *συμμετρίαν*, dicta ac *proprietas*; si ve paulo obscurior ac imperfectior, quæ *ἀναλογίαν* vocatur ac *similitudinis*. Imago enim ac idea esse debet conceptæ rei. Imago proportionata si prototypo non est, imaginis nomine digna haut cõsetur. Duo namq; requiruntur ad imaginem, *processio* & *expressio*. Hinc ovum ovi non dicitur imago, licet simile illi sit, cum ab eo non procedat, nec calceus Imago dicitur Sutoris, licet ab eo procedat, cum similis ipsi non sit. Homo autem imago dicitur Dei, cum & procedat ab ipso, & ad ipsius efformatus sit similitudinem. Pari ratione species sensibilis, item conceptus seu species intelligibilis, imago dicitur objecti. Ab eo namq; procedit, dum nempe in
sensus

sensus ac intellectum postea spargitur, & ipsum *ceu proles quadam* ad vivum repræsentat. Quæ repræsentatio fieri nullo modo potest, non intercedente aliqua *proportione*. Quæ omnia hisque similia dilucidissimè accuratissimèq; expedita dedit in *Anthrop. sua Phys. Excell. Dn. Sperling. Præceptor noster æternæ devotione prosequendus*.

§. 8. Nos hisce melioris intelligentiæ causa præmissis, ad *divisiones conceptus* usitatas accessum facimus. Quarum per plures quidem recensentur adhibenturque à nonnullis; nobis tamen *tres* duntaxat exponere animus in præsens est, reliquis brevitas studio prætermittis.

§. 9. Ac primò quidem offert sese usitatissima illa *conceptus* distinctio in *formalem* & *objectivum*, cui *Micrælius* & alii nonnulli addunt *objectivum consequenter*. Hanc distinctionem occasione potissimum *Conceptus Entis* in communi pertractant Autores. (in *Metaphysicis* maximè; sed aut perperam aut ex accidenti: rectius alii in *Physicis* ac in specie in doctrina de Anima, ubi de *Conceptu* & *verbo mentis* agunt: ratio evidentior est, quàm ut adduci illam sit necesse) terminis tamen non uno utuntur modo, imprimis quod attinet *Conceptum formalem*.

§. 10. Circa *Objectivum* namque *Conceptum* Autores penè omnes consentiunt in eo, 1. quod sit illud ipsum, quod intellectui cognoscendum objicitur. Ubi notandum tamen nonnullos addere in definitione *Conceptus objectivi* quod illud ipsum quidem sit *conceptus objectivus*, quod menti objicitur cognoscendum; *sed cum relatione ad intellectum cui representatur ut ab ipso cognoscatur*. *Henningus Arniseus Epit. Met. p. 40. Suarez. & alii*. 2. Quod exinde improprie conceptus vocetur, cum sit potius objectum, de quo conceptus formatur in mente. 3. Quod possit esse *universale* quid non tantum *singulare*, id quod de *formali* dici nequit, qui semper est *Ens singulare*. 4. Imò quod possit esse *nō-Ens ac Ens rationis*; quod itidem non cadit in *conceptum formalem*. 5. Quod prior sit *Conceptu formali*.

§. 11. In describendo autem *formali conceptu*, scinduntur, autores in Classe s duas. *Trombeta in 4. Metaph. qu. 2. art. 1.* asserit esse *actum intelligendi* pro quanto est istud, quo aliquid concipitur. Allegat

Allegat hunc & sequitur *Zeifoldus part. gen. Pnev. disp. 1 a. 2. p. 1. p. 2. pag. 2.* qui plenius uti ait, *conceptum formalem* ita describit: *quod sit actus intellectus* per quem ipse rem sibi objectam concipit. Ipse quoque *B. Jac. Mart. Part. Met. l. 1. sect. 2. q. 3. p. 82.* per *Conceptum formalem* intelligit *ipsum actum*, quo intellectus rem aliquam seu communem rationem concipit. Quod idem jam antea in *Exerc. Metaph. tradiderat l. 1. Exerc. 3. th. 2. p. 77.* ubi statuit, *conceptum formalem* esse *ipsum actum*, intelligendi, qui formaliter rem cognitam menti repræsentat, eandemq; formaliter in intellectu determinat. Ita etiam *Svarez* citatus ab *Heerboordio vol. 1. Melet. Phil. disp. 49. th. 4. p. 183.* Nec aliter *P. Hurtadus de Mendoza disp. 2. Met. s. 2. §. 1. p. 212.* *Paulus Voetius Gisb. F. juris in Acad. Ultraject. Antecessor primæ Phil. Refor. c. 3. p. 42.* qui eum vocat *immediatam & actualem* cujusq; rei intellectui propositæ repræsentationem, ac deinceps expressè eundem contradistinguit non conceptui tantum obiectivo, nec secundis tantum intentionibus, sed & speciei cuiusq; intelligibili: quod hæc *habitualis* poti^o sit cujusq; rei repræsentatio; *Conceptus autem formalis, actualis.* Admodum tamen ambiguè idem loquitur, dum addit, quod sit *forma intellectus*, *verbum mentis*, ut quod vox ad extra, id *Conceptus formalis* ad intra signet. Imò deinceps, ubi differentias recenset *Conceptus Objectivi & formalis*, *Conceptum formalem* vocat *veram mentis qualitatem habentem tò esse subjectivum in intellectu & effectivum ab intellectu.* Nec minus *Gerhard. Ruysch. in disp. Inaugural. Ultraj. Anno 1643. Mense Maj. habita,* *conceptum formalem* dicit esse *actum Intellectus* quo rem aliquam concipit inq; actu secundo sibi repræsentat, *th. 3.* Itemq; *Gisb. Cock, in disp. Inaug. ibid. loci habita th. 2.* *formalem conceptum* dicit esse nihil aliud, quam *ipsum actum s. verbum mentis*, quo mihi ratio (Entis) repræsentatur. His adjungi potest *Phil. à S. Trinit. Carmelit. discalceatorum Provinciae Sanctæ Theresiæ in Gall. Provinc. part. 3. Summæ Philos. q. 2. a. 2. p. 29. & alii.*

§. 12. Alii verò hunc ipsum *Conceptum formalem*, describunt non per *actum intellectus*, sed per *actualem similitudinem*

nem five speciem intelligibilem, ab intellectu per intellectionem expressam, quæ de facto fit proles intellectus eum informans. Ita Franc. D' Abra de Rac. disp. 2. Met. p. 57. edit. in 8. Henning. Arniseus Epit. Metaph. p. 40. qui expresse dicit, formalem conceptum esse notionem ab anima ex Objecto formatam, representantem objectum externum. Quod exemplo declarat, dum ait: in concipiendo hominem, Objectivus Conceptus est ipse homo, quatenus intelligibilis: formalis est species quæ ab hoc fluit, & Intellectui representatur. Similiter Dn. D. Scharf. Met. Exempl. l. 1. c. 1. p. 20. conceptum formalem vocat formam accidentalem, in mente hærentem, per quam res ipsa extra intellectum posita cognoscitur atq; concipitur. Illam verò formam dicit esse Ideam, speciem, imaginem seu exemplar & idolum &c. quod porro fusiùs allatis exemplis declarat. Ita quoq; rem exprimit Joh. Miælius in Lex. Phil. sub voce Conceptus p. 263. Imò ipse Beat. Jac. Mart. in Exerc. Met. l. d. p. 77. & 78. cum prius per actum intellectus definivisset conceptum formalem, postea per notionem eundem definit, inquiens: Conceptus formalis est notio in mente, mediante intellectu Agente formata, representans objectum externum. Neq; aliter Excell. noster Sperling. in Anthropol. sua Conceptum describit, intelligens procul dubio conceptum formale. Quibus addi potest Scheibl. l. 1. Met. c. 2. §. 31 p. 40. & alij.

§. 13. Conceptus objectivus consequentur, vocatur ab Aut. notio notionis, i. e. notio secunda, quales sunt in Logicis, Grammaticis, Rhetoricis.

§. 14. Tandem Adrianus Heerboord Philosoph. in Acad. Lugd. Batava Prof. Ord. vol. 1. Met. Philos. disp. 49. th. 4. p. 183. primum ex mente Svarezii, & vulgò Philosophorum, qui ipsius vitula arant (uti loquitur, quo nomine aliàs B. Jac. Mart. Cl. Scheibl. alios q; è Philosophis Nostratibus intelligit, ut passim ex ipsius scriptis videre est) exponit quid sit conceptus Objectivus, quid Formalis; postea v. epicrisin suã adjicit hoc pacto: quavis autem res eodem redeat, & sententia nostra à nobis th. 3. exposita, non sit diversa, à sententia Svarezii aliorumq; sub istis tamen terminis eam nõ proposuimus, quia abstinendum judicamus, quantum fieri potest, ab ineptis vocibus & insulsis loquendi modis, quibus Philosophia recepta tota est de-

for-

formata: In illo sane numero est illa Conceptus distinctio &
Omnis n. Conceptus est Conceptus Formalis hoc est forma
quædam mentis, qva res sibi objectas, immateriali modo re-
fert ac repræsentat: res objecta nullo modo conceptus est,
nec conceptus dici potest ne externa quidem denominatio-
ne: Denominationes externæ dicuntur de rebus oratione
obliqua & παρανόμως, non autem oratione recta & συνωνύμως:
non n. dicimus miles est vestis aut gladius; sed miles est vesti-
tus aut gladius. Ad istum quoq; modum res objecta men-
ti, non potest dici conceptus, sed concepta παρανόμως h. e.
id quod concipitur. Pari ratione Franco Burgersd. l. 1. Instit.
Met. c. 2. th. 9. & 10. p. 15. & 16. quem sequitur hac in parte Heer-
boord, ubi de Conceptu Formali & Objectivo Entis agere de-
bet, mavult rem eam terminis aliis exprimere, ac subjicit: do-
ctrinam hanc vulgò exprimi per Conceptum Objectivum ac
Formalem.

§. 15. Nos in tanta Sententiarum varietate, rem totam
paucis expeditam dabimus conclusionibus. Esto I. Divisio Cō-
ceptus in Objectivum & Formalem, non est in Species, seu Univo-
cas seu Analogas; sed vel in partes vel requisita essentialia. Proba-
tur prius. Conceptus namque Objectivus improprie & per quã-
dam ἀνερολογίαν conceptus dicitur, cum sit potius res ipsa per
conceptum repræsentata, quod fatentur omnes. Hinc rectius
alii Conceptum hunc, rem intellectam & intentionem intellectam
vocant, uti notat Scheibl. l. 1. Met. c. 2. n. 31 p. 40. Quare uti ima-
go non dividitur in Imaginem ipsam, & rem cujus est imago,
tanquam subjectas sibi species: sicut typus non in typum ipsū,
& rem cujus typus est; sicut signum quodcunq; non in signum
ipsum & rem signatam: ita neq; conceptus dividi potest, in
conceptū ipsum, qui dicitur conceptus formalis, & rem conce-
ptam, quæ dicitur Conceptus Objectivus, tanquam in subjectas
species. Accedit quòd omnes qui hanc utuntur Conceptus di-
stinctione, protestentur, Conceptum Objectivum proprie
non esse Conceptum, sed potius rem Conceptam. Probat
posterius. Revera n. ad conceptum constituendum requiritur
tum objectum concipiendum; tum ipsa mentis conceptio.

Ratio est, quoniam Objectum ad Conceptum sese habet ut prototypon ad suam imaginem. Ad imaginem verò, quod supra notatum est, requiritur tum processio à prototypo, adeoque prototypon ipsum, quod vocatur *conceptus objectivus* (quomodo id fiat ostendetur paulò post;) tum similitudo, adeoque ipsa mentis circa prototypon seu objectum operosa proles, istud ipsum repræsentans, quod vocatur *Conceptus formalis*.

§. 16. II. *Præter necessitatem*, pro notionibus secundis, additur *Conceptui formali & objectivo Conceptus objectivus consequenter*. Non negamus dari conceptum aliquem *notionum secundarum*, quem illi, *Conceptum Objectivum consequenter* salutant. Existimamus tamen præter necessitatem multiplicari terminos, si conceptus qui de iis datur *Objectivus* in intellectu, hac in quæstione, contradistingvatur conceptui *objectivo*, cuius mentio fit in divisione. Patebit illud ad oculum, si cognoverimus duntaxat, quid sit illud, pro quo illi conceptum hunc *objectivum consequenter*, effingunt, nimirum *quid sit notio secunda? quid dicat? quid importat?* tum etiam si consideraverimus, qualiter & in quonam esse objecta hoc loco spectentur? Etsi verò *notio secunda objectiva* formaliter non sit *Ens* aliquod reale (licet quandoque materialiter & remotè includat objectum cognitum reale,) sive illud explicetur, quod sit ipse actus mentis qui significat signum, quod *Nominales existimarunt cum suo Occamo quod l. 4. q. 9. & alii ap. Petr. Tatar. qv. 3. proæm. Log. dub. 2. cum quibus facit hic Zabarella l. 1. de Nat. Log. c. 3. & 10. Barthol. in Janit. 2. Log. num. 33. Caramuel A Lobkoviz l. 2. Meta Logice princ. 3. sive ut dicatur, notio secunda, res, ab actu realis intellectus denominata sine omnis respectus rationis connotatione, ut post Job. Gandavens. & Bernh. Mirand. habet Mendoz. disp. 1. Summ. f. 13. §. 60. p. 22. quibus addi Jungius potest cui in proæm. Log. Hamburg. notio secunda est operatio mentis secunda. Licet etiam, non sit cum Fr. D. Abra De Rac. prelud. post. Log. c. 1. f. 2. a. 2. talis facienda distinctio inter notiones secundas, ut aliqua dicantur, non esse *Entia rationis*, aliqua esse. Nec dicendum sit cum Job. Lale-*

mano

mandet. ord. Mimin. Sancti Franc. de Paula per Germ. Bohem.
Morav. Provinciali Theologie ac Philosophia publico & Jubilato
Professore disp. 2. Log. partit. 4. notiones secundas cum entibus
rationis identicè tantùm convenire, formalitet differre. Ne-
que cum Fr. B. Sp. Carmel. reform. Provincia Belgicæ Generali &
Theol. Professor. tr. 1. Log. disp. 1. dub. 7. notio secunda objectivè
dicenda sit objectum in se; sive hoc dicatur objectivè secun-
dum se; sive secundum modum significandi tantùm. Sed poti-
ùs omnes notiones secundæ sint entia aliqua rationis: non quidè,
quòd, juxta Scotistas post Scotum in I dist. 23. q. unica Tataret. q.
3. proem. Log. dub. 2. Nicol. Torbellis Dial. ab initio, & alios, sit re-
spectus rationis, causatus per actum comparativũ nostri intel-
lectus, aut actum alterius potentia; vel juxta Thomistas, r. ela-
tiorationis, competens rei non secundum se, sed ut denomi-
natæ ab aliqua operatione intellectus, ut habet Tolet. in proem.
Porph. q. 1. Conimbr. q. 6. ib. Suarez disp. 54. Met. s. 4. Smiglezi^o, Vas-
quez, Ruvius, Bannes, alii: vel juxta Hervæum, quem sequi-
tur Armand. de Bello Visu tr. 2. de nominibus secundar. intent. p. 269.
& seqq. respectus rationis rei cognitæ ad intellectum: vel juxta
Jac. Fournenc. Tom. 1. Synopsis. Phil. c. 2. p. 15. relatio s. compara-
tio rebus ab intellectu affecta ad ratiocinandum; quanquam
hic alibi Tom. I. Synopsis. Phil. cap. X. p. 62. l. ult. aliter paulò
hac de re loquatur, ac fere ad nos accedat: vel juxta Fons. l.
5. Met. c. 7. q. 7. s. 5. & l. 1. s. 5. Inst. Log. c. 32. quoad quædam rela-
tio rationis, quoad quædam negatio. Verùm sit potius Ter-
minus Reflexionis Intellectus super actum ejusdem alium, repræsen-
tantem objectum, ut cognitum, qui resultat ex ista intellectus ad
actum suum reflexione ac relatione: cum per istam reflexio-
nem intellectus, supra actum alterum, repræsentantem obje-
ctum secundum esse cognitum, notio secunda formetur. (Cu-
jus naturã eapropter paulò persecuti sumus fusius, quod ex
ea natura quoque Conceptus formalis non parum illustretur:
nam & is non res ipsa est, non phantasma ipsum, nec propriè
actus intellectus, sed Terminus ac proles ex actione intellect^o
mutuâ super actum phantasia, profultans.) Nihilominus tã-
men ipsæ etiam notiones secundæ objectivè spectatæ, rectè ad

Conceptum objectivum, hac in quaestione, referuntur, quae su-
um itidem habent conceptum formalem: qui est conceptus
realis intellectus, idea, species, imago, non secus ac conceptus
formalis Entium realium, exhibens intellectui objectum ali-
quod, non quatenus in se est, sed quatenus cognitum. Quod
ipsum indigitat quoque, & per omnia consentit cum senten-
tia nostra *Excell. Sperling. dum Anthropol. l. 1. c. 3. q. 4. p. 175.* notio-
nes secundas vocat *imagines* in mente mediante notione pri-
ma conceptas, & in eadem notione prima immediatè funda-
tas. Nam & Nos per *terminum* istum nihil aliud indigitamus.
Quòd a. sufficiat h, l. ad id ut aliquid dici possit *Conceptus Ob-*
jectivus, si taliter tantum comparatum sit, qualiter *notiones se-*
cundae, nec requiratur necessariò realitas Objecti, patet ex eo
1, quòd nondum demonstratum sit, aliquid debere esse Ens
reale, si dici mereatur conceptus objectivus, seu Objectum
Conceptum: quin potius notant Autores Conceptum Obje-
ctivum posse esse *non-Ens* ac *Ens rationis*, ac in eo, inter alia
contradistingvi conceptui formali, sicut videre est apud *Paul-*
lum Voetium d. l. Jac. Mart. in Exerc. d. l. & alios. 2. Liquet ex
eo, quia in ratione Conceptus istius, prout h. l. spectatur non
respicitur ad Entitatem aut *realitatem* objecti, sed *cognoscibi-*
litatem: habetur n. respectus ad facultatem cognoscendi seu
conciipiendi, ad quam objectum relatione dicit, ut ab ipsa
cognitum vel cognoscendum. At cognoscuntur etiam non-
Entia, Entia rationis, notiones secundae, quacunq; tandem
ratione, quod item 3. videre est ex ratione *universalium*: Hæc
certè licet *materialiter* ac *fundamentaliter* considerata, habe-
ant esse suum ante operationem Intellectus, in singularibus;
formaliter tamen considerata non sunt nisi per operationem
Intellectus. At hæc, etiam *formaliter considerata* habent con-
ceptum non formalem tantum, sed & objectivum, seu sunt i-
pse Conceptus Objectivus, aut potius objectum conceptum:
atq; eo non obstante, quod esse istud objectivum tantum in
Intellectu habeant; nihilominus non fingitur pro illis novus
aliquis *Conceptus* tertius aut quartus, usitatis illis contradi-
stinctus. Concludimus ergo: *Quicquid commode referri potest*
ad

ad Conceptum Objectivum, pro eo prater necessitatem fingitur
alius Conceptus, qui sit Objectivus consequenter.

§. 17. III. Conceptus Objectivus est quidem Objectum i-
psum, sed cum relatione ad Intellectum, cui obicitur, ut ab ipso co-
gnoscat. Conclusio hæc proluxa non eget probatione. Patet
n. prius ex consensu omnium Philosophorum, qui terminos
istos semper hoc modo accipiunt. Verba autem valent ut
nummi. Posterius patet itidem ex ratione Objecti. Objectum
namq; de formali, dicit relationem ad potentiam cuius obje-
ctum dicitur. Ergo etiam hoc loco, objecta Intellectus con-
cipientis & cognoscentis eadem, relationem dicere debent
ad eundem ut cognoscentem, sine qua relatione, ne objecta
quidem dici possunt: cum *to esse Objectum* sit terminus relati-
vus. Patet idem ex eo, quia res quælibet, de se, apta nata
est, spargere aliquam sui cognitionem, in potentiam sibi re-
spondentem. Sic res colorata, apta nata est spargere sui co-
gnitionem in potentiam visivam: res odorifera, in potentiam
odorativam: res audibilis in auscultativam. Pari ratione
res quælibet intelligibilis, in potentiam Intellectivam. Fru-
strà verò nihil producit natura: igitur nec talem poten-
tiam.

§. 18. IV. Neq; tamen ineptè aut insulsè objectum conce-
ptum vocatur conceptus objectivus: ac proinde Divisione istâ Con-
ceptus, sub istis etiam terminis, Philosophia hodie non deformatur.
Ita contra Heerboordium statuimus, cujus verba adduximus
suprà §. 14. Nam 1. videt quilibet, Heerboordium litem movere
tantum de vocabulis, adeoq; corticem tantum lambere, pul-
tem non attingere. Fatetur n. ipse sententiam suam non esse
diversam à sententia *Svarezi* & aliorum nobiscum sentienti-
um. Quid autem juvat litigare Philosophum de vocibus, ubi
sententia est in salvo? 2. Voces hæc adeò tritæ usu sunt, ut ho-
spes admodum in Philosophia sit, qui earum ignorat sensu.
Quid autem, ubi res ad Intellectum satis sistitur, opus est, de-
licatas sermonis elegantias venari? Dicet: non elegantiam se,
aut sermonis delicias querere; sed proprietatem? Resp. Proprie-
tas sermonis non excludit voces Translatas, uti cum *Fabro* l.
8. cap.

cap. 3. & Scalig. l. IV. de Re Poetica cap. 5. rectè adstruit Ger. Job. Voss. in Comment. Grammaticis & Rhetoricis. Patebit autem paulò post, schema quoddam Grammaticum h. l. occurrere. At objiciet forsàn: in sermone istud Poetico tantùm aut dictione O-ratoria valere? Resp. Cur non & Philosophico? Multi certè dā-tur & in Philosophia, tralatitii, & illi quidem ex instituto ta-les, termini; qui secus exulare deberent omnes. Manebim⁹ in re præsentis, Ipse admittit *Conceptus Terminum*, licet tan-tùm de Formali Intellectum. At & sic, non propria vox hæc est, sed translata. Infinita dantur talia. Quapropter *satis pro-prie appositæq;* voces illæ sunt, quibus auditis, mens nostrarem iis indigitatam, sine confusione ac distractione capit. Effecit autè id longus vocabulorum istorum usus. 3. Cùm Daniel Voëtius parte 2. disp. de quest. de Nomine Ultrajecti A. 1656. die 26. Martij Respondente Daniele Hoornbeck habitâ, demonstrat, standum esse communi & usitato loquendi modo, ita ut sub vocibus nō intelligi debeant res aliæ, quàm quibus exprimendis longus & communis easdem destinavit usus; consequens est, in reb⁹ quoque exprimendis, iis utendum esse vocibus, quæ usitata & communes sunt: usitatas autem eas esse ostendit, quæ nec ve-tustate obsoletæ, nec præ novitate nondum receptæ sunt. Ta-les verò cum hæ sint voces, frustra ab Heerboordio rejiciun-tur. 4. Frustraneus est quoq; conatus *Heerboordi*, dum Philo-sophiam repurgare nititur, ab his & similibus terminis, à qui-bus ne ipse quidem in scriptis suis abstinere omninò potest. Plures sunt res vocibus, & impudens sit oportet, qui non fa-teatur hac in parte, angustias Latinitatis. 5. Cùm objecta h. l. spectentur non tam in *esse reali*, quàm *conceptibili*, cum re-latione ad Intellectum cui objiciuntur, ut ab ipso cognoscan-tur, quod haud obscurè colligitur ex ipso quoque *Heerboor-dio*, & quem sequitur, *Burgersdicio*, & probatum à nobis *Conc. prac.* est; apparet ea ipsa talibus exprimenda terminis, qui in-volvant æquè *materiale*, quod fit mentione facta *Objectivi*, & *formale*, quod mentione *conceptus*, ut per *Conceptum Objecti-vum* nihil denotetur aliud quàm *Objectum Conceptum*, specta-tum eatenus, quatenus menti concipiendum objicitur. Qua-ratio-

ratione autem id factum sit, ut *res Concepta Conceptus Objectivus* vocetur, non autem *Objectum Conceptum*, peculiaris nostra de eo opinio hæc est: si quis repererit meliorem sagacitatem illi non invidemus. Existimamus fieri id per *schemata* quoddam *Grammaticum*, quod *Hypallage* vocatur, quo verborum ordo & structura ita invertitur, ut contrarioplane modo aliquid referri videatur, quam res se habet. Cujus schematis exempla tum in ligata, tum soluta dictione, tum in sacris Literis, tum in loquela communi quàm plurima reperiuntur. Ubi vel nomen aut verbum id, quod regit, casu recti aut rectum Casu regentis profertur: Vel nulla est Casuum commutatio, sed structuræ fit inversio, priore casu reservato: vel Participium ponitur pro verbo, aut verbum pro Participio. Exempla singularum specierum videri possunt apud *Ger. Joh. Voss. Inst. Orat. l. IV. c. 13. p. m. 254. seqq.* Hoc loco duo priores casus concurrunt, Primò eo, quod quæ vox substantivè efferenda fuit, adeoque regere debebat, efferatur adjectivè ac regitur: secunda eo, quod inversio ea fiat casibus non mutatis, ac dicatur: *Conceptus Objectivus*, ubi dicendum fuit *Objectum Conceptum*. Unde patet modum hunc loquendi præter meritum ab *Heerboordio* ineptum & insulsum vocari, cum præclarissimis Scriptoribus sit in usu: uti dicto loco apud *Voss.* videre est.

S. 19. V. *Conceptus formalis, non est ipse intellectus rem concipientis actus; sed proles exinde resultans, Idea. Species. Imago, Objecti representativa.* Neque hæc Conclusio operosa indiget Confirmatione, si modo consideretur, quid conceptus dicat de formali. Nimirum repræsentare debet Objectum, ita ut si quis conceptum mente cernat, perinde sit, ac si objectum ipsum oculis intueretur. At actio, intellectus quatenus actio id non præstat. Nam (1.) Conceptus tunc demum est in fieri: adeoque nondum perfectus. Quod verò in fieri tantum est, ac imperfectum, quomodo potest exhibere ac sistere id quod est in actu? 2. Non omne Objectum per Conceptum repræsentatum est actio. Ergo sequeretur ad minimum, non omnem Conceptum esse actionem, deest enim similitudo. 3. Cum actio ista sit accidens aliquod adeoque Ens verum, habebit & illa suum Conceptum formalem. Quæritur an & ille sit actio? At de hoc iterum redit quæstio, in infinitum, Quæ ipsa de

C

Ter

Termino istius actionis intellectus, qui est exemplar, idea, species, Imago, rei conceptæ dici nequeunt. Nam percepta Imagine rei, perinde est, ac si res ipsa coram cernatur. Et qualibet res etiam actio ipsa, apta est, ut idea aliqua ejusdem in mente formetur. Nec metuendus est processus in infinitum: eo ipso enim dum Terminus indigitatur totius istius negotii per speciem atque imaginem, istam, jam progredi ultra non licet, quemadmodum licebat in actione quæ adhuc erat in fieri. Quin potius *actio ista intellectus, instrumentum quoddam est, quo is ad efformandum & effigiandum conceptum formalem utitur.*

§. 20. Atque hæc deusitatisima Conceptus in *Formalem & objectivum* divisione dicta sunt. Plures divisiones adhibentur ab aliis passim, quarum non paucas reperire licet apud *Job. Micra- lium in Lex. Phil. Paulum. Voetium in Phil. Prima ref. d. l. & alios.* Eas omnes hac vice, utpote minus difficiles, minusve usitatas, brevitas studio intermittimus. Binæ tamen haud levem merentur considerationem, quas in *Anth. sua* adducit & explicat *Excell. Sper- ling.* ex quo pauca hunc in locum transferre non pigebit. Prior est, quæ Conceptus alius dicitur *simplex*, alius *Complexus*: *Alter*, quæ alius dicitur *Adequatus*, alius *Inadequatus*, alius *Falsus*. Quid notent singuli exponemus paucis.

§. 21. Notum est, unam quidem in genere, at in specie, triplicem esse Intellectus nostri operationem. *Simplicium apprehensionem, Compositionem & Divisionem ac Discursum.* 1. *simplicium apprehensio*, est functio mentis, qua res singulares seorsim apprehendit & cognoscit. Cum e.g. res in Prædicamentis locatas, hominem, equum, eruditionem, fortitudinem, Tempus aliaque, sine ulla eorundem cum termino altero collatione & combinatione, apprehendit, nihil de iis affirmando, nihil negando. Huic mentis operationi respondet *Conceptus simplex*, simplicem pariens de recognitionem, Exinde patet quid sit Conceptus simplex. Imago nempe, qua res simpliciter, sine affirmatione & negatione, de quoquam alio menti repræsentatur. 2. *Compositio & divisio* est functio mentis qua res confertur cum altera, idque vel affirmando vel negando. Quod fit si integra in mente formetur *Propositio sine tamen unius ex altero illatione*; *Canis e. g. non ratiocinatur,*
Ho-

Homo non latrat, Leo rugit, &c. 3. *Discursus* est functio mentis, qua unum ex alio utpotè ignotum ex noto deducitur atque colligitur. Quod fit cum è Præmissis legitimis legitima inferitur Conclusio. Hæ duæ posteriores Intellectus operationes, Compositæ cum sint, *composito* perficiuntur *Conceptu*. Exinde aliquis *Conceptus* datur *Compositus* seu *complexus*, qui nihil aliud est, quàm *Imago* seu *species* repræsentans aliquam alicujus de aliquo affirmationem & negationem, itemque totum *discursû* *Syllogisticum*. Hæc ipsa *Conceptus* distinctio non obscure colligitur quoque ex *Job. de Bruyn. Physices & Matheseos in academ. Ultrajectina Professore, plerarumq; Ren. des Cartes opinionum propugnatore acerrimo, in Diss. de Causa Errorum Anno superiori, Mense Junio, Respond. Michaele Dobrai Hungaro habita tb. 2.*

§. 22. Quod jam ad illam attinet *Conceptus* *Divisionem*, quæ est in *Adequatum* *Inadequatum*, & *Falsû*, videt, quilibet, quod ea desumpta sit partim *ex modo cognitionis*, partim *ex iis quæ de Objecto cognoscuntur*. Quod si *Objectum* concipiatur perfectè omnibus numeris ac modis, idque per principia essentialia, quibus immediate constat, oritur exinde, in intellectu *Imago* seu *species* proportionem omnimodæ ad rem ipsam *συμμετρίας* habens, quæ vocatur *Conceptus adequatus* *distinctam* *pariens* *de re cognitionem*: ut cum concipitur homo per animalitatem & rationalitatem ex quibus essentialiter & immediate constat. Si vero *objectum* concipiatur *imperfectè*, per accidentia duntaxat nonnulla aut per Principia essentialia, è quibus non constat immediate, *Imago* exinde oritur aliqualis tantùm *ἀναλογίας* proportionem ad *Objectum*, ipsum dicens, quæ vocatur *Conceptus Inadequatus*, *Confusam* *gignens cognitionem*. Nihilominus tamen *Conceptus* hic adhuc verus est, & vera ex eo cognitio, licet *inadequatus* ille & *inadequata* ista. Ut si concipiã hominem, ut *Creatum*, *album* aut *fuscû*, *doctum*, *substantiam*, *Ens* &c. quæ competere quidem homini verè possunt. essentialiter tamen aut immediate eum non constituunt. Sin postremo fallatur mens, ut rem concipiat per ea quæ non habet omninò, *Imago* exinde quidem oritur, ast rei quæ concipienda fuit nullatenus repræsentativa, quæ vocatur *Conceptus Falsus*, nullam

nullam omnino pariens Cognitionem, sed merum faciens fucum, Exempla ubiq; sunt obvia Coincidit fere distinctio hæc cum illa, qua Conceptus Formalis dividitur in *Univocum*, *Analogum* & *Æquivocum* apud P. Voetium d. l. p. 143. Pro qua etiam citatur ibidem Eustachius à S. Paulo prim part. *Metaph. q. 2. Complutens. diss. Log. n. 9. s. n. 43. Fons. l. 4. Met. c. 2. q. 2. s. 3.*

§. 23. Tandem antequam finem huic imponamus discursui, addendum aliquid est de *Conceptu inconceptibilium*. Daniel Voet. *Medic. & Philos. D. & Logices ac Metaphys in Academia Ultrajectina Prof.* peculiarem de *Conceptu inconceptibilium* conscripsit dissertationem, habitam anno superiori, sub finem Mensis Junii, Respondente Abrahamo de Sadeleer In qua duas proponit quaestiones I. *An dentur Conceptus Inconceptibilium?* 2. *quales nam ejusmodi Conceptus Inconceptibilium sint?* seu quomodo ejusmodi Conceptus, cum Objectorum inconceptibilitate consistere queant? five quid nobis representemus de Objectis, aut quomodo nobis representemus Objecta, quæ inconceptibilia esse dicuntur? Ad primam quaestionem Respondet affirmando tribus potissimum motus rationibus (1) è formulis inter disputandum usitatis, e. g. hæc responsio est Inconceptibilis, vel: Inconceptibile est, quomodo effectus, ab ea quam assignas causa fluere possit &c. (2) Quoniam si non darentur ejusmodi Conceptus, disputare nunquam possemus, de iis quæ Inconceptibilia & falsa judicamus. At Consequens falsum est. Nam e. g. Disputamus sæpè an inter aliqua duo detur distinctio *rationis ratiocinatae*, an verò *rationis ratiocinantis?* & tamen distinctionem *rationis ratiocinatae* inter ea esse Inconceptibile judicamus & judicavimus in antecessum. Certum enim jam ante apud nos erat inter ea distinctionem *rationis ratiocinatae* esse non posse, adeoque in conceptibilem esse; & tamen de eo quod inconceptibile per nos fuit, disputamus. Antecedens probat itidem Voëtius, quoniam, inquit, negatis, quales jam describimus, Conceptibus, dicendum foret quoties circa illa inconceptibilia disputando versaremur, nos ea, vel adæquatè nobis representare, atque sic non essent Inconceptibilia; vel nullo modo concipiendo circa ea versari, atque tū nullus daretur Conceptus. (3) quia


(3) Quia si ponatur e.g. hæc enūciatio: Inconceptibile est hominem in via cognoscere Deum comprehensivè; dici non potest & Prædicatum & subiectum huius Enunciationis adæquatè à nobis cognosci, nec dici potest nihil omnino de iis percipi, sed instar Phittacorum nos eas Enunciationem proferre. Necessum ergo est aliquem conceptum illi Enunciationi respondentem licet inadæquatum ponere.

§. 24. Altera quæstio deciditur ab eodem hoc pacto. Dicit ejusmodi Enunciationibus in mente respondere posse I. *Conceptum positivum*, licet negativis vel relativis vocibus exprimatur. Uti enim isti Enunciationi e. g. *Substantia non est Ens alteri inherens*, respondet in mente Conceptus Positivus huius: *Substantia est Ens per se*: Ita & huic Enunciationi: *Impossibile est plures Concipere Deos*; cui æquipollet hæc: *Neesse est non plures concipere Deos*; respondere poterit Conceptus positivus huius: *Neesse est unum Concipere Deum*. 2. *Speciem alienam aut aliam & etiam positivam* quàm quæ est rei per voces in Enunciatione prolata occurrentes significata. Non aliter ac de Deo ipso discurremus, quem incomprehensibilem novimus, non sub specie propria, hoc enim impossibile est, sed aliena, assumpta nempe à rebus creatis. Itemque de privationibus, negationibus, Entibus rationis &c. Idem judicandum de inconceptibilibus. 3. *Enunciationem hanc: Impossibilis est, iste iudicii actus*. Ubi non habetur ratio Objecti, sed simpliciter actus iudicii circa illud. 4. *Hunc Conceptum: si non possit aut nolit quis Concipere Objectum pro ut concipi debet, necessum est ut suspendat actum Intellectus, quo circa illud objectum versari cupit*.

§. 25. Nos ut breviter nostram subjiciamus *ἐπιληπτικῶν*, dicimus posse admitti talem Inconceptibilem Conceptum si (1) sermo sit de specie peculiari, non Conceptus, sed Objecti Concepti. Namque revera Objectum tantum variatur Conceptus, de quo idem iudicium esto, quod de Conceptibus Objectivis Consequenter formavimus. Conceptus verò ipse Inconceptibilem, est is quem antea descripsimus Conceptus formalis. (2.) Si non id intendatur, Conceptum & cognitionem rei, stare posse cum ejus

Inconceptibilitate; sed solum explicetur, quomodo circa Inconceptibilia ista mens nostra occupata sit; adeoque sumantur Inconceptibilia non in *Composito sensu* sed *diviso*. Quod etiam prudenter in Præfatione monet *Voetius*. Adeoque 3. si Inconceptibilitas ista inconceptibilium sumatur non respectu intellectus circa ea occupati; sed respectu terminorum inter quos fit collatio, ita ut unus alterum vel excludat penitus, vel illi ex asse contradicat: Ubi licet alias certum sit & indubitatum penes intellectum nostrum, inconceptibilem esse terminorum istorum nexum, id est falsum & impossibile; nihilominus tamen nexum illū, qualis nempe is est, concipimus. Si verò per inconceptibilia ista, ea ipsa indigentur, quæ concipi id est cognosci à nobis propter sublimitatem essentiali, aut diminutam, & impropriam essendi rationem, adæquate nequeunt, quod fere etiam intendit *Voetius*; tum hæc non differunt ab iis de quibus antea diximus formari conceptum aliquem formalem verum, sed inadæquatum. (4) Pro ratione tamen qua *Voëtius* probat, non posse nos disputare de iis quæ inconceptibilia & falsa judicamus, nisi aliquem eorum conceptum admittamus, quoniam inconceptibilis admodum hæc ipsa videtur, aliam planiorem nos substituimus, hanc nimirum: quoniam omnis disputatio & sententiarum collatio fit per communicationem Conceptuum. Non certè res ipsas, equum, Canem, montem, asinum, auribus atque mentibus eorum, quibuscum nobis res est ingerimus; sed Conceptum quem de rebus hisce formavimus communicamus. Qualis autem de iis fieri potest Conceptuum communicatio, de quibus conceptum nullum formare licet? Atque hæc etiam de *Conceptu Inconceptibilium* dicta sunt.

Soli Deo Gloria,





*Per-Eximio Præstantissimoq; Domino
Respondenti.*

QVæ tellus Cœlumque suo complectitur
orbe,

Omnia Mens hominis Viva ut Imago,
refert.

Quid referat Mens viva hominis, dum LU-
DEKE dextrè

Pandis, num Tua Mens non quoque
cuncta capit?

Certè cuncta capit. sic pergito pandere docti
Sensa animi : Cedet Gloria summa
Tibi.

gratulab.

PRÆSES.

Ad

Ad Pereximum atque Doctissimum Dn. Res-
pondentem Amicum veterem atq; constantem
Contubernalemque meum.


*V*icit amor vetus, ut te Lüdeke carmine ma-
trem

*Haectenus atq; satis consolidata fides:
Imo etiam studij Constans Coniunctio vicit,
Gratuler ut factis versibus hisce tuo.
Dum quid sit verbum mentis sapienter enodas
Ubere verborum fertilitate tuâ
Exprimis ingenij dotes mentisq; repostas
Quas auditorum docta Corona probat.
Continua studium adspiret tibi gratia Fove
Conceptam ut possis spem satiare meam.*

Christianus Zenisch/
LL. Studios.







ULB Halle

3


006 691 749



VD 17







13

I. B. F!
Exercitatio Philosophica
De
CONCEPTU
seu
VERBO MENTIS
quam
PRAESIDE
M. JOHANNES BAYERO,
Eperiesin. Hungaro R.P.A.
tuendam & suscipiet.
In Florentissima VVittebergensium Academia
RESPONDENS
ANDREAS Ludeke / Mülingensis
Saxo.
Ad diem 20. Febr. Anno 1658.
H. lq. consuetis.

WITTEB. TYPIS JOHANNIS HAKEN,

